

nisse nec venturas litteraliter agnoscunt Judæi. Sic Ezech. 16. Soror tua Sodomia, & filia ejus revertentur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filia ejus revertentur ad antiquitatem suam: & filia tue, revertimini ad antiquitatem vestram, id est, ad antiquas sedes, opes, & gloriam; & tamen fatentur Judæi, neque Samariam, neque Sodomam igne succensam, unquam temporaliter esse restituendas. Jerem. cap. 48. & 49. promittit Moabitibus, & Ammonitis pacem, ac Judæis liberationem, cum tamen, hos populos nunquam a captivitate rediisse, consentiant Judæi. Hæc ergo spiritualiter, & allegoricè intelligenda sunt. Quidni quæ similiter promissa sunt Judæis?

Parti modo promissio, quam Deus fecit, dandi Abrahæ, & semini ejus terram Chanaan in possessionem æternam Gen. 13. Is. 60. Ezech. 37. intelligitur allegoricè de perennitate celestis patriæ, cujus terra Chanaan fuit figura. Impossibile enim foret, semen Abrahæ, quod Deus toto terrarum orbe diffundendum promiserat Gen. 13. angusto tertia Chanaan tractu contineri. Neque Deus Abrahæ fidem mercede sat digna compensasset, si illi, & ejus semini unum tertia angulum in premium concessisset. Est ergo spiritualiter intelligenda terra Chanaan, & ad celestem patriam, cujus fuit symbolum, referenda. Adde, promissionem felicitatis terrene factus Judæis fuisse conditionatas, si nempe legem religiosè servarent, sicut promissio throni perennitatis in familia David.

Instant, & subsumunt. Atqui neque noster Jesus Judæos profugos collegit spiritualiter, neque in unam Ecclesiæ societatem adunavit: ergo is non est verus Messias. R. nostrum Jesum per se, & per Apostolos, & eorum successores collegisse omnes veros Abrahæ filios, qui sunt, non secundum carnem, sed secundum spiritum; non ex femore, sed ex fide: etenim qui ex fide sunt, inquit Apost. Galat. 3. hi sunt filii Abrahæ.

Obj. 2. Messias, oraculis Prophetarum prænuntiatus, futurus est bellator, manu fortis, qui numerosos ducet exercitus, atque gentibus externis, stricto gladio victis, magna quoque strage debellatis, Judæos quaque parte dispersos, ab earum servitute liberet. Ita passim Scriptura Num. 24. Ps. 139. Is. 42. Jerem. 13. Joel 2. Habacuc 3. Zachar. 9. & alibi pluribus. Confectis autem bellis, pacem toti orbi tam firmam allaturus est, ut nullo bello decipere turberetur. Ita Ps. 45. & 75. Is. 2. Mich. 4. & alibi. Atqui nullus huc usque tantæ virtutis apparuit, nec talis fuit noster Christus. Ergo. R. Messiam hunc bellatorem, bella non temporalia, non carnalia, adversus gentes Judaicæ hostes, ut autumant Judæi, sed spiritualia adversus animæ hostes, peccata, & vitia, gesturum; subindeque pacem inde secutam non esse carnis, sed spiritus pacem, piæ scilicet, mentis, & fidei securitatem. Patet ex ipso armorum genere, quo usus prædicatur iste bellator, nimirum virga oris sui, spiritu laborum, veritate, æquitate, justitia, iudicio, prædicatione Evangelii, & similibus. Is. 11. Percutiet terram virga oris sui, & spiritum laborum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cincturium renum ejus. Osæe 1. Domus Juda miserabor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Sap. 5. Dextera sua reget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabilem æquitatem. His porro armis, & similibus non nisi bella spiritualia contra internos animi hostes gerentur.

Obj. 3. Messias designatus a Prophetis futurus est immortalis, & regnum æternum possessorus: Is. 9. Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & justitia, a modo, & usque in sempiternum. Daniel 7. Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingue ipsi serviunt: potestas ejus, potestas æterna, que non auferretur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Atqui Christus noster mortuus est: ergo. R. Prophetas expressè prænuntiassè, Messiam non solum morturum, sed & omnes ejus mortis circumstantias accuratissimè descripsisse, ut vidimus ant. præced. §. 2. Manifestum est ergo, regnum ejus æternum, de quo loquuntur Prophetæ, non esse terrenum, sed celeste, in quo cum illo regnabunt omnes Sancti in perperuas æternitates.

Obj. ultimo, & summum, plura alia in Scripturis prædici de Messia venturo, que non verificantur de Jesu Nazareno. 1. Is. 2. dicitur Messias venturus in novissimis diebus. 2. Ibidem quod fluit ad eum omnes gentes. 3. Cap. 11. quod tunc habitabit lupus cum agno; & c. 2. quod mons domus Domini sit exaltandus super alios montes, & c. 4. Jerem. 3. quod sit regnaturus super sedem David, & in Jerusalem. 5. Malach. 3. quod Angelus præcedet ejus adventum, cap. autem 4. iste Angelus dicitur Elias. Atqui hæc non sunt verificata de Jesu Nazareno: ergo. R. ad 1. Christum advenisse in novissimis diebus, quia totum tempus, quod ab ejus ortu ad finem mundi fuit, dicitur novis-

simum, & ultimum: tùm quia in eo adimpletæ sunt Prophetiæ, tum quia post ipsum nulla alia lex, nullus Legislator, nullus alius status Religionis succedet. Ad 2. Fluxerunt ad eum omnes gentes, quatenus lux evangelii ad omnes gentes diffusa est. Ad 3. Jam dixi, hæc non nisi figuratè posse intelligi: habitavit ergo lupus cum agno, vitulus cum leone, & c. dum Apostoli conversati sunt cum gentibus, quæ morum feritate has bellas æquabant, undè dicebat Christus: *Mitto vos sicut oves in medio luporum*; vel dum gentes, deposita morum feritate, tamquam agni mansueti ad fidem adducti sunt. Per montem Domini exaltandum, super alios montes exaltatio, & sublimitas Ecclesiæ designatur.

Inst. Vel omnes prophetiæ de Messia sunt litteraliter intelligendæ, vel nullæ: non est enim potior ratio de una, quam de alia. R. N. Ant. Cum enim Deus non possit mentiri, oportet omnia adimpleri, quæ dixit. Cum ergo multa certò sint adimpleta, oportet, & reliqua adimpleri: undè, quæ verificari non possunt litteraliter, qualia sunt, quæ proponuntur in instantia, & plura alia, ut quod flumina plaudent manu, quod montes exultabunt, & similia, sunt mysticè intelligenda.

Ad 4. ex dictis constat, per Jerusalem intelligi Ecclesiam, & per solium David intelligi non illud intra fines Palestinæ inclusum, sed spirituale, fundatum in fide, & charitate, quam habuit David. Ad 5. vel iste locus Malach. intelligitur de secundo Christi adventu, quem præcedet Elias Thesbitis: vel intelligitur de primo adventu; & tunc per Eliam intelligitur Joann. Baptistam, qui venit in spiritu, & virtute Eliæ, ut dicitur Luc. 1. & jam diximus prius.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA

DE JOSEPHI TESTIMONIO.

Sine genuinum, an suppositivum?

Ad præcedentem Dissertationem.

Sic legitur l. 18. Antiq. c. 4. Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere, erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera liberè amplectuntur. Et plures quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus (vertit Hieronymus, Christus hic dicebatur) cumque cum, a primoribus gentis sue accusatus, Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendè non abstinuerunt, qui primùm ceperant. Nam post tertium diem rediit ipse apparuit, cum divini Vates hæc, & aliæque plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defectè denominatum ab eo Christianorum genus.

Dico: Probabilis videtur, hoc Josephi testimonium esse genuinum, & non suppositum. Prob. 1. Quia Scriptores antiquissimi, fide dignissimi illud ut genuinum laudant ex vetustissimis, & probatis codicibus, scilicet Euseb. lib. 3. Demonstr. Evang. pag. 124. & lib. 10. Hist. cap. 11. Hieron. in Catal. Script. Eccles. in Josepho, Isidorus Pelusiota l. 4. Ep. 225. Sozomenus l. 1. Hist. cap. 1. Nicephorus l. 1. c. 39. & alii plures. 2. Quia, hoc testimonium esse genuinum, constans fuit traditio a primis sæculis, usque ad medium circiter 16. sæculi, quo Gifanius, & Osiander, primi hæc communem fidem tentarunt elevare. 3. Quia, si Christiani hoc testimonium Historiæ Josephi assuissent, non defuissent, ex Judæis aut aliis, qui toto illo tempore, hæc fraudem detexissent, & Christianis exprobrassent. 4. Quia Josephus meminim eum laude Joann. Baptistæ, & S. Jacobi, quem Jesu fratrem appellat. Ergo omnino verisimile est, ipsum in historia suæ Gentis texenda diligentissimum non siluisse de Jesu, qui tot, & tam stupenda miracula fecerat, & cujus occasione tot commotiones in sua Gente ortæ fuerant. 5. Quia notæ suppositionis, quas proferunt Recentiores, videntur insufficientes, ut patet ex eorum solutione. Itaque.

Objiciunt silentium veterum Patrum, Justin, & Tertulliani, qui in suis concertationibus contra Judæos illud testimonium nunquam protulerunt. R. Argumentum negativum nullam vim habere, contra rationes positivas. 2. Hi Patres fortè incidere in codices corruptos, e quibus fraude Judæorum expunctum fuit hoc testimonium; qualem repertum fuisse Romæ testatur Baronius ad ann. Christi 34. n. 221. & qualem asservari in Bibliotheca Sorbonica, narrat Tournely. 3. Veteres contra Judæos efficacius adhibebant vaticinia Prophetarum, quam testimonium Josephi, utpote recentioris auctoris; & cui poterant respondere Judæi, sicut nunc possunt, Josephum hæc dixisse non ex propria sententia, sed ex sententia Sæctorum, Jesu Nazareni, qui ipsum habebant, pro Christo; quod non multum urget Judæos.

Instant. Non solum antiqui Patres siluerunt de isto testimonio Josephi, sed expressè dixerunt, Josephum nunquam agno-

vis-

visse Jesum pro Christo; ut Origenes Tom. 11. in Matth. Theodoretus, & alii. Atqui tamen testimonium laudatum dicit: *Hic erat Christus*. Et: *Si tamen illum fas est virum dicere*: itèd Prophetas prædixisse ejus resurrectionem, & alia plura miranda de eo: ergo hoc testimonium non est genuinum Joseph factus. R. N. Conseq. Merito ergo negarunt isti Patres, Josephum agnovisse Jesum pro Christo, quia nec in Christum credidit, nec Christianus fuit; sed omnia de Messia vaticinia accommodavit Vespasiano, quem adulatoriè Messiam dixit. Cum itaque hæc, quæ referuntur in objectione, dixit, non est locutus, ut dixi, ex propria sententia; sed ex fide discipulorum Christi, narrando quid ipsi sentiebant de Jesu, quem dicebant Christum; & ideo Hieronymus vertit: *Hic dicebatur Christus*.

Reponunt. Auctor hujus testimonii dicit, plures ex Gentibus Christum secutos fuisse, cum tamen una vel altera mulier ethnica legatur ei adhaesisse. Ergo. R. Josephum respexisse ad tempus, quo vivebat; quo certè tempore magna Gentilium multitudo jam in Christum credebat; vivebat enim Josephus anno post Christum 96.

Urgent. Non est verisimile, Josephum secta Phariseum laudasse Jesum, qui palam Phariseos insectatus fuerat. R. Non magis esse mirum, Josephum laudasse Jesum Phariseorum adversarium, quam Vespasianum Gentis suæ capitalem hostem. 2. Josephum non tam laudasse Jesum, quam retulisse laudes Sanctorum illius.

Insistent ex Photio, qui opera Josephi recensens codice 238. nihil de isto celebri testimonio dicit: imò codice 48. negat librum De universo esse Josephi, quia ibi fit sermo de æterna Christi generatione: ergo suppositum reputat testimonium lib. Antiquit. tam disertum in laudem Christi. R. Potium noluisse exactè discutere Judaicæ Josephi antiquitates: sed sola librorum argumenta describere. Neque etiam hoc testimonium ignoravit; citato enim codice 238. isem omni verbis ac Josephus loquitur de Christo, quamvis nomen Josephi taceat; sed cum id, quod addit ibidem de Jacobo, scilicet mortis ejus causa evenisse exitum Hierosolymitanum, sit ex scriptum ex Josepho, licet etiam ejus non meminisset, solus enim Josephus hoc dixit; itèd, que dixit de Christo, indubè ex Josepho exscripsit. Ad id, quod opponitur ex codice 48. circa librum de Universo, Photius non loquitur affirmative, sed dubitavit ex aliena sententia: *Que res*, inquit, *ambigendi fortè assèdunt causam præbent, sine hoc Josephi opusculo*. Insuper potuit Josephus credere, aut saltem referre, quæ discipuli Christi credebant de ejus sapientia, virtute, & resurrectione, ut fert testimonium libri Antiquitatum, & non credere ejus divinitatem, seu æternam generationem, ut fert liber De universo: in primo enim testimonio nihil de Christi divinitate affirmat, sed dubitavit tantum & oratorio modo dicit: *Si tamen virum illum oportet dicere*. Deniquè Photii auctoritas non præponderat auctoritati Eusebii, Hieronymi, & aliorum Patrum, quos laudavimus.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

DE LIBRIS SYBILLINIS.

Utrum sint genuini, an suppositivi?

Ad præcedentem Dissertationem.

Sybillarum oracula continentur octo carminum libris, qui Sybillini dicuntur in Bibliotheca Patrum tom. 8. Edit. Paris. 1624. Quidam & libros, & oracula is contenta rejiciunt, ut figmenta Christianorum. Quidam et contra & libros, & oracula admittunt. Fortè verius, ac tutius erit duo extrema tenere medium. Undè.

Dico Sybillarum oracula non sunt Christianorum figmenta: neque tamèn omnia carmina, que his octo libris Sybillinis continentur, sunt genuina incorrupta. Prob. 1. pars 1. Patres antiquissimi, & commendatissimi hæc oracula laudant in probationem nostræ Religionis, eaque à suppositionis nota vindicant; atqui hæc sunt legitimi operis notæ: ergo.

Prob. Maj. 1. ex Origene libr. contra Celsum pag. 406. sic ipsum restringente: *Nescio, quid ei venit in mentem, ut censeat Sybillam a nobis potius quam Jesum appellandam fuisse Dei filiam, asseverans nos multa ejus versibus inseruisse maledica, non tamèn indicans, que sint illa, que inseruimus. Indicasset autèm, si antiqua habuisset incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur, que putat à nobis interpolata, quod tamen non fecit*. 2. Ex Lactantio Firmiano l. 4. de vera sapientia cap. 15. *Hic testimonium (Sybillarum, inquit) quidam revocant, solent ed confulgere, ut ajant, non esse carmina Sybillina, sed à nostris ficta,*

atque composita quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varro nemque legerit, aliosque veteres, qui Erythraeam Sybillam, ceterasque commemorant, ex quorundam libris ista exempla proferimus. Qui Auctores obierunt, aut quàm Christus secundum carnem nasceretur. 3. Ex Constantino Imperatore in oratione ad Sanctorum cœtum apud Eusebium c. 18. ubi de Sybilla Erythraea hæc habet: *Divino quodam instinctu afflata versibus ea que erant de Deo futura, prædixit, notisque & ordine primarum litterarum, (que Acrostichis dicitur) historiam de Jesu adventu declaravit. Acrostichis hæc quidem JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR, CRUX. Et c. 19. dicit: *Verum multi sunt, qui nullam fidem ei adjungunt; idque cum fateantur, Sybillam vatem Erythraeam extitisse: imò verò suspicantur, alium nostræ Religionis professorem poetice non ignarum ista carmina contexuisse; falsòque inscripta esse, & inter Sybillas oracula numerata. Verùm de hujus rei veritate satis constat, quippe nostri homines tempora adeò accuratè, & magno studio collegerunt, ut nemo possit suscipere, hoc poema post Christi in terras descensum editum fuisse; atque illi propterea mendacii per spicuum convincuntur, qui ista carmina non olim à Sybilla condita esse prædicant. Perspicuum est enim, Ciceronem istud poema, cum fortè perlegisset, in latium convertisse sermonem, suisque scriptis attestasse. 4. ex S. Justino in Apolog. ad Antoninum Pium, & in cohortationes ad Gracos, ex Clemente Alex. l. 6. Strom. ex S. Aug. Ep. 155. ad Martianum, & l. 18. de Civit. c. 46. & 47.**

Prob. 2. prima pars ex illustrioribus inter Gentiles Scriptoribus, qui longè ante Christianorum tempora hæc Sybillina oracula laudaverunt. Varro de lingua Latina l. 5. & l. de re rustica cap. 1. Cicero de Divinat. l. 1. n. 112. Livius l. 3. 4. 7. 10. Decadis 1. decadis 3. l. 1. 2. 5. 9. & sæpius. Cornel. Tacitus l. 15. Annal. Suetonius in Octavio Augusto c. 31. & in Julio Cesare c. 69. Plinius l. 13. c. 17. & plures alii; inter quoque signanter Virgilius, qui Sybillæ Cumanæ de Christo vaticinia, mysteriorum nescius, Salonio Asini Polionis novi Consulii filio accomodat Eclog. 4.

Ultima Cumanæ venit jam Carminis ætas: Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo. Jam redit & Virgo: redeunt saturnia regna. Jam nova progenies cœlo demittitur alto. Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum Desinet, ac toto surget gens aurea mundo, Casta fave Lucina. Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri Irritas perpetua solvant sceleris formidine terras.

Prob. 4. pars 1. Lib. 1. Sybillino legitur Noë diebus tantùm 47. mansisse in Arca. At constat ex Scriptura, Noë anno solidio in Arca fluctuassee. 2. Ibid. Mons Ararat, in quo quiescit Arca, in Phrygia collocatur. At ex omnibus Geographicis constat Ararat esse montem Armeniæ. 3. Constans est Patrum sententia, Moysen omnium Scriptorum, sive prophanorum, sive sacrorum esse antiquissimum, & tamen Auctor tertii libri se Moysæ antiquiore fecit. 4. SS. Patres Sybillas Gentilium prophetissas passim vocant, & ex Gentibus oriundas asserunt, & tamen Sybilla Erythraea se nurum Noë dicit, & l. 8. Auctor se Christianum dicit. 5. Eodem libro legitur, Romam perituram anno a conditione sua 648. ære vulgaris 195. que tamen adhuc modo subsistit. Snt & alia quedam falsa impermixta.

Obj. contra 1. partem Teste Suetonio in Octav. Aug. c. 31. Sybillarum oracula 1. Casare Augusto duobus forulis auratis abscondita sunt sub Apollinis Palatina basi: ergo supposititia sunt, quæ laudantur à SS. Patribus. R. N. Conseq. Quia secundum Lactantium l. 1. de falsa Relig. c. 6. solus Sybillæ Cumanæ oracula obserata fuerunt, non aliarum; sed etsi etiam aliarum; non tamen, sed plura erant in mundo exemplaria, quæ consulerent poterant SS. Patres. Undè, cum anno ab urbe condita 671. concrematus Capitolio, concrematis fuissent libri Sybillini, missi fuerunt legati Erythras, qui carmina Sybillina quaererent, ut testatur Lactantius supra ex Varrone. Neque Erythris tantum, sed & in aliis Regionibus conquista fuisse, prodit Tacitus l. 6. Annal.

Obj. 2. Si sint genuina Sybillina oracula de Deo, & Christo, quæ laudantur a Patribus, cum hæc sint clariora oraculis Prophetarum, feliciores forent Gentiles in assequenda Dei & Christi cognitione, quam Judæi, contra illud Ps. 147. *Non fecit taliter omni nationi: & judicæ sua non manifestavit eis. R. N. Sequelam.* 1. Quia Sybillinis oraculis plura falsa sunt mixta veris. 2. Quia, licet essent clarissima, ea tamen non intelligebant Gentiles, Deo mentis oculos non aperiente ut intelligerent, ut patet de Virgilio supra. 3. Quia Judæis, & non Gentibus lex Dei data est: Judæis, & non Gentibus missi sunt Prophetae, quorum oracula sunt certiora quibuscumque oraculis Sybillarum.

ARTICULUS I.

De convenientia Incarnationis.

EX multiplici capite potest attendi hæc convenientia : 1. Ex parte Dei. 2. ex parte generis humani. 3. ex parte totius universi. 4. ex parte persone assumptis. 5. ex parte naturæ assumptæ, tam quoad speciem, quam quoad sexum. 6. ex parte temporis, quo facta est Incarnatio.

Dico 1. (Hic q. 1. art. 1. o.) Conveniens fuit Deo incarnari. Prob. 1. (Ib. in art. 5. c.) Illud opus est Deo convenientissimum, in quo relucet ejus perfectiones; ad hoc enim totus mundus conditus est, ut gloriam Dei manifestet, & ut per visibilia invisibilia Dei conspiciantur; & ideo dicitur, quod omnia propter semetipsum fecerit Dominus. Atqui in Mysterio Incarnationis mirè relucet, ac manifestantur perfectiones Dei, nempe Bonitas, Sapientia, Justitia, & Potentia: Bonitas, quoniam non desepit proprii plasmatis infirmitatem; Justitia, quoniam rigorosam exhibuit peccatorum satisfactionem; & homine victo, non alio, quam homine fecit vinci tyrannum; Sapientia, quoniam difficillimi pretii adinvenit decentissimam solutionem, & difficillimam justitiæ cum misericordia conciliationem: Potentia, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem, & tam distantia jungere.

Prob. 2. (Ibid. o.) Convenit summo bono, qualis est Deus, se summo modo communicare. Atqui Deus per Incarnationem se summo modo communicat ad extrâ. Ergo. Maj. patet: quia, cum bonum sit de se, seu ex natura sua sui diffusivum, & communicativum, sequitur quod summum bonum sit summè communicativum. Prob. Min. Nullus major nec intimior excogitari potest modus communicationis, quam quod ex tribus, Verbo, anima, & carne, una fiat persona; seu quo Creator, & creatura una persona evadant, ut fit in Incarnatione. Quadrupliciter enim Deus se communicat ad extrâ, in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostatice. In ordine naturæ dona sua communicat, sed naturalia. In ordine gratiæ communicat quidem supernaturalia, sed creata. In ordine gloriæ seipsum communicat, sed tantum in esse intelligibili. At in unione hypostatice seipsum communicat secundum esse proprium naturale, & personale, ita ut verum sit dicere: Deus est homo, homo est Deus. In 1. communicatione fecit hominem rationalem, in 2. Sanctum, in 3. Beatum, in 4. Deum. Ergo.

Dices 1. Videntur divinæ perfectiones obscuratæ in hoc mysterio, maxime divina Majestas ex tanta humiliatione, & conjunctione ad vilem carnem. Ergo. R. Quod, sicut sol illuminando lutum, nihil sordidum inde recipit, & sicut anima corpori unita non foedatur, ita nec Divinitas carni conjuncta. Adde, quod in omnibus humanitatis Christi humiliationibus semper aliquis splendor fulgor Divinitatis. Concipitur in carne, sed de Spiritu S. nascitur, sed de Virgine. Jacet in Præsepio, sed a Regibus adoratur. Fugit in Ægyptum, sed ibi Idola subvertit. Vivit Pauper, sed miracula patriæ. Rapitur a militibus, sed eos prius prostermit. Crucifigitur, sed terra concutitur. Moritur, sed sol obscuratur. Sepelitur, sed propria virtute resurgit.

Repones: Magis eluxisset divina Bonitas, si Deus gratis peccata nostra nobis remisisset. Ergo. R. N. Ant. Majoris enim bonitatis est nobis inimicis suis filium suum dare, quam offensas gratis remittere. Adde, quod non fuissent servata justitiæ jura.

Dices 2. Si Deo fuit conveniens incarnari, ergo non incarnari fuit inconveniens; quod non potest dici, cum Deus aliquid inconveniens facere non possit, & tamen poterit non incarnari. R. D. Ant. Si Deo fuit conveniens, ut necessarium, & debitum incarnari, non incarnari fuit inconveniens. C. Si Deo fuit conveniens, ut liberum, & C. N. Si conveniens est servare virginitatem, non est tamen inconveniens uti matrimonio, quia utrumque liberum est. Incarnatio autem sic Deo fuit conveniens, ut tamen ipsi esset libera.

Dico 2. Incarnatio fuit maxime conveniens generi humano. Patet ex multis commodis, quæ homini per Incarnationem obveniunt. A demonis, & peccati servitute liberatum: verbis, & exemplis Christi ad virtutem instruitur, & incitatur: jus ad gratiam, & gloriam ejus meritis acquirit, ejus natura sublimatur ad usque divinitatem, cui fit quodam modo consanguinea: facilius habet accessum ad Patrem per filium ejus, qui frater, & caro nostra est: facta est ipsi facillior, & planior via salutis per

abundantiores gratias, & Sacramenta. Alias rescenset utilitates S. Doct. art. 2.

Dico 3. Incarnatio fuit conveniens toti universo. Patet ex præcedenti. Cum enim homo sit quoddam universi compendium, & epilogus, habet enim esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis; fit inde, ut omnia cum homine, per Incarnationem decorata sint, atque nobilitata. Et ideo dicitur ad Ephes. 1. Omnia in Christo esse ins-taurata.

Dico 4. (Ib. art. 5. & 6.) Inconvenienter facta fuisset Incarnatio in principio, & in fine mundi; sed convenienter peccata est in plenitudine temporis. Prob. 1. pars. (Ib. art. 5. o.) Neque ante peccatum, neque statim post peccatum conveniens erat Verbum incarnari. Ergo. Prob. Ant. Non ante peccatum; quia opus Incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem generis humani, per peccati abolitionem: non autem datur medicina nisi jam infirmis. Unde Christus Matt. 9. dicit: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Non statim post peccatum: 1. ut homo, qui per superbiam peccaverat, profundè humiliatus, magis agnosceret morbi sui gravitatem, naturæ, & legis infirmitatem, ac medici necessitatem, sicut ad eum clamaret, & gratiæ quæreret auxilium. 2. Ut paulatim ad id, quod perfectum est, procederet, in quo processu est natura, secundò Lex, tertio gratia. Naturalis enim ordo est, ut ab imperfecto ad perfectum veniatur. 3. Propter dignitatem Verbi incarnati: ut enim dicit Glossa super c. 4. ad Galat. Quantò major Judex veniebat, tanto præconum series longior procedere debebat; qui scilicet per oracula, figuras, variæque Sacramenta veteris Legis tanti Salvatoris prænnuntiarent adventum, 4. Ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret. Ea est enim conditio hominum, ut non diu in virtutum exercitio perseverent, ut patet in Ecclesie progressu, quæ a primævo fervore tantum deficit. Unde Luc. 18. dicitur: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Ergo.

Prob. 2. pars. 1. (Ibid. art. 6. o.) quia Incarnatio est causa efficiens ejus perfectionis, quæ in nobis est per gratiam, De plenitudine enim ejus omnes accepimus, Joann. 1. Non decet autem, quod causa efficiens perfectionis tantum differat: alias pauci proficerentur, & pauci profuissent Christus. 2. Quia non conveniebat, Verbum tunc incarnari quando notitia Dei penitus excidisset, & spes de eo quasi desperata, & mores omnino essent corrupti; quod contigisset, si usque ad finem mundi venire distulisset. 3. Ut manifestaretur divina virtus, quæ pluribus modis homines salvavit, non solum per fidem futuri, sed etiam per fidem presentis, & præteriti. Consequenter conveniens fuit etiam, quod est tertia pars, ut Christus veniret in plenitudine temporis, ut ait Apost. ad Galat. 2. vel in medio annorum, ut dicitur Habacuc 3. non quidem mathematicè, quasi tot anni supersint post Incarnationem, quot effluerunt ante illam; id enim incertum est; sed moraliter, in quantum non est facta neque in principio, neque in fine temporum; quod est enim inter duos terminos, dicitur in medio, quamvis magis distet ab uno extremo, quam ab alio. Intelligit etiam plenitudinem temporis definiti a Deo; quia tunc Deus adimplevit mysterium, quod præfignierat, adimplevit figuras, promissiones, & dedit plenitudinem gratiæ.

Dices contra 1. partem. Charitas non tardat subvenire amico necessitatem patienti. Atqui Deus nimia charitate dilexit nos, Ephes. 2. Ergo. R. D. Maj. (Ibid. art. 5. ad 1.) Charitas non differt subvenire amico, salva tamen negotiorum opportunitate, & personarum conditione. C. Secus, N. Si enim Medicus statim a principio ægritudinis medicinam daret infirmo, aliquando minus proficeret, vel magis læderet, quam sanaret. Et ideo etiam Dominus non statim a principio incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex superbia, si prius infirmitatem suam non agnosceret.

Dices 2. Si Christus citius venisset, plures fuissent salvati. Ergo. Responderet S. Doct. ad 2. quod Aug. dicit in libr. de sex Quæst. Paganorum Ep. 49. quod tunc Christus voluit hominibus apparere, quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerint credituri; sed quod hanc responsum retractaverit in libr. de perseverant. c. 6. adducto exemplo de Tyrriis, & Sidoniis. Item c. 10. & l. 2. de Retract. c. 31. Unde ad argumentum: utrum plures salvati fuissent, si a principio venisset Christus? R. esse valde incertum. Proximioribus fortè magis profuisset sanguis recens effusus, qui remotioribus propter refrigerentem charitatem nihil profuisset. Aliunde ante Christi adventum non defuerunt auxilia gratiæ ad salutem sufficientia ex ejus prævisis meritis.

fuissent, si a principio venisset Christus? R. esse valde incertum. Proximioribus fortè magis profuisset sanguis recens effusus, qui remotioribus propter refrigerentem charitatem nihil profuisset. Aliunde ante Christi adventum non defuerunt auxilia gratiæ ad salutem sufficientia ex ejus prævisis meritis.

De aliis convenientiis dicemus infra secundum ordinem D. Thomæ.

ARTICULUS II.

De necessitate Incarnationis.

§. I. Utrum Incarnatio fuerit necessaria ad reparationem generis humani?

Dupliciter (Ibid. a. 6. o.) aliquid dicitur necessarium ad finem. Uno modo simpliciter, & absolute, utpote sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conservationem vitæ. Alio modo secundum quid, quatenus per id melius, & convenientius pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est ad iter.

Dico. (Ibid.) Incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad reparationem generis humani, sed tantum secundum quid. Primam partem docent unanimiter SS. Patres, Athanas. Orat. 3. cont. Arianos, Greg. Nazianz. Orat. 9. Theodoret. Serm. 6. cont. Græcos, Leo Magnus Serm. 2. de Nativ. Cyrillus Alex. Libr. de Incarnat. Gregorius Magnus l. 20. Moral. c. 26. Joannes Damasc. l. 3. c. 18. Bernard. Ep. 190. & Serm. 11. in Cantic. Aug. l. 13 de Trinit. c. 10. & Libr. de Agone Christiano c. 11. ubi dicit: Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi suscipere hominem, & nasceretur de femina, & a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret. Ratio est; (Ibid.) quia Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare, vel illi condonando injuriam, sibi per peccatum illatam, ut persona offensam, & supremum Judex; vel acceptando aliqualem hominis satisfactionem; vel quoquo modo sibi placuisse. Ergo. Prob. Ant. In his nulli involvitur contradictio; & Deus est liberissimus respectu operam ad extrâ.

Prob. 1. pars. (Ibid.) Id melius, & convenientius est ad reparationem generis humani, per quod homo melius, & facilius promovetur ad bonum, & recedit a malo; atqui hoc utrumque obtinet per Incarnationem: ergo. Prob. 1. pars. Minoris quinque rationibus. 1. Per Incarnationem magis certificatur fides; magis enim creditur Deo loquenti. 2. Spes magis erigitur. 3. Charitas magis incenditur, utraque per manifestationem tantæ Dei dilectionis erga nos. 4. Exemplum bonæ operationis nobis præbetur. 5. Planè divinitas participatur, in qua vera hominis beatitudo consistit. Prob. 2. pars. Minoris etiam quinque rationibus. 1. Quia homo per Incarnationem instruitur, ut diabolum contemnat, & detestetur, ex eo quod per hoc Mysterium sit humiliatus. 2. Innotescit humanæ naturæ dignitas, quam sordibus peccatorum inquinare dedecet. 3. Præsumptio tollitur per hoc, quod gratia Dei nullis præcedentibus meritis in homine Christo commendatur. 4. Superbia per tantam humiliationem redarguitur, & sanatur. 5. Homo a servitute diaboli, & peccati liberatur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Deus necessario, & ex natura sua est justus; immò est ipsa justitia, nec omnino potest esse injustus, quia seipsum negare non potest, ut dicit Apost. 2. Tim. 2. Atqui justitia exigit punitionem peccati: ergo necessaria fuerit simpliciter Incarnatio, ut Christus pœnas peccato debitas justitiæ Dei satisfaceret. Ità Honor. Tournely, qui, licet agnoscat Deum posse de potentia extraordinaria reparare hominem absque Incarnatione, tenet tamen non posse de potentia ordinaria, temperata virtute justitiæ, quasi verò potentia extraordinaria non debeat esse temperata virtute justitiæ. Fortè poterit Deus de potentia extraordinaria aliquid injustum? Peccat ergo Tournely in ipso limine: & dum dicit, Deum non posse potentia ordinaria dimittere peccatum sine satisfactione, quia non potest esse injustus, & se negare, probat pariter, id non posse potentia extraordinaria, quia Deus non potest etiam potentia extraordinaria facere injustum, & se negare. Ergo præmissio.

R. 1. ad argumentum. S. Th. infra q. 46. art. 2. ad 3. idem argumentum isdem fermè terminis sibi proponit, & sic respondet. Ad 3. dicendum, quod hæc etiam (Dei) justitia dependet ex voluntate divina, ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato liberare, contra justitiam non fuisset; ille enim Judex non potest, salva justitia, culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta vel in alium h. Theol. Billuart. Pars Tertia.

minum, vel in totam Rempublicam, sive in superiorem Principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum, & commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam; sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, & non injustè agit. Et ideo David misericorditer potens dicebat: Tibi soli peccavi: Quasi dicat: Potes sine injuria mihi dimittere. Hæc S. Doctor. Indè D. Maj. argumenti: Deus est necessarius, & ex natura sua justus in actu 1. C. In actu 2. & quoad exercitium hujus justitiæ, N. Id enim juxta S. Thom. pendet ab ejus liberrima voluntate. Ad hunc sensum, D. Min. Atqui justitia exigit simpliciter necessario punitionem peccati, N. Dependenter a divina voluntate, & quantum illi placet, C. Et ut præveniatur instantia; ne dicas cum Tournely Deum non esse tantum partem lesam, sed judicem publicum, rectorum universalem, cujus est bonum publicum tueri: respondet enim tibi S. Thom. Deum ipsum esse supremum, commune bonum totius universi; & ideo, si dimittat peccatum, quod contra ipsum committitur, nulli, nec etiam bono communi, facit injuriam.

R. 2. D. Min. Justitia exigit satisfactionem pro peccato aliqualem, transeat ad sensum præcedentis satisfactionis: rigorosam, aut saltem condignam, N. Ità ipsemet objiciens, qui fatetur Deum in exercitio justitiæ esse liberum quantum ad mensuram, & gradum satisfactionis, seu pœnæ inflegendæ, posseque mitiorem exigere, quam culpæ mereatur. Ergo liberum illi fuit aliqualem creaturæ satisfactionem acceptare. Ergo non fuit necessaria Incarnatio. Sed nunc, velim scire, Theologus Parisiensis habet, quod Deus sit liber circa condignitatem, & non circa substantiam satisfactionis; utrumque enim exigit justitia, nec Deus potest se magis negare in uno, quam in altero. Ficta ergo videtur hæc distinctio, & ad subterfugium excogitata.

Int. 1. cum eodem: Deus necessario odit peccatum, nec eam potest non odire, quod suæ sanctitati, ac justitiæ adversatur. Atqui istud in odium Deo nihil est aliud quam constantis voluntas illud puniendi. Ergo. R. D. Maj. Deus necessario odit peccatum, quandiu remanet, C. Si deleatur, N. Potest autem illud delere vel condonando, vel aliqualem satisfactionem ob homine acceptando, vel alio modo sibi noto, & in thesauris divinæ omnipotentia latente.

Inst. 2. Deus non potest magis peccatum impunitum remittere, quam posset præmium merito denegare. Atqui non potest, salva justitia, præmium merito denegare. Ergo. R. N. Ant. Disparitas est, quod per meritum acquiritur merenti jus ad præmium: undè si eo frustraretur, violaretur ejus jus, & fieret illi injuria. At per peccatum non acquiritur peccanti, sed personæ læsæ jus ad exigendam satisfactionem; quam ideo si remittit gratis, nemini facit injuriam.

Obj. 2. cum eodem auctoritatem S. Anselmi, qui toto fermè libro, Cur Deus homo, duo contendit. Primum, Deum non potuisse lapsum hominis permittere, quin statim ejus reparationem decreverit. Alterum est, hominem non debuisse, nec potuisse alia, quam plenè atque condignè satisfactionis atque adeo Incarnationis, via redimi ad liberari. Ut hæc duo probat, istud fundamentum ponit l. 1. c. 10. Sicut in Deo quantilibet parvum rationem, si majori non vincatur, comitatur necessitas. Ex quo principio concludit c. 22. Quapropter, si non decet Deum aliquid injustè, aut inordinatè facere, non pertinet ad ejus libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem, qui non solvit Deo, quod abstulit, impunitum dimittere. Ergo. Si fides est objiciens in his, quæ tribuit. D. Anselmo, tria docet S. Doctor, quæ negat ipse Tournely. Primum, Deum non potuisse homini lapsum permittere, quin statim ejus reparationem decreverit. Hoc negat Tournely conclusione 2. præcedenti. Secundum, hominem non potuisse liberari alia via, quam condignæ satisfactionis. Hoc negat Tournely q. 2. in 1. probatione conclusionis, alibi Tertium, Deum non posse etiam de potentia extraordinaria peccatum remittere sine satisfactione, si quidem nec de potentia extraordinaria possit Deus aliquid injustum, & inordinatum: & hoc tertium negat Tournely conclusione præcedenti. Undè hoc argumentum, prout proponit, plus ipsi nocet, quam nobis, & ab ipso prius est solvendum. Hoc præmissio.

Ad Anselmi testimonium variè sunt Responsiones, Quidam ingenue agnoscent, eum fuisse in hac sententia, quam illi tribuit arguens; sed ipsam in hoc esse descendendum, utpote unanimi aliorum SS. Patrum sensui dissentaneum. Alii ipsam intelligunt de necessitate secundum quid, seu congruentiæ, vel de necessitate per respectum ad condignam satisfactionem. Alii tandem cum S. Bonaventura, & Alensi, quibus subscribimus, dicunt, Anselmum loqui in hypothesis decreti divini de reparatione hominum per satisfactionem condignam consequentem.